

- ris aliis ) non dici agnoscit, fateturque. Itaque illa explicatio, ut aliena a dicto Apostoli hoc, aliisque, hac ipsa de causa, primo in limine repellenda fuit. Et hæc vel una causa piis sufficit.
2. Communicationem, quam vocat *Idiomatum*, non recte explicat, quando *Christo homini* ea esse communicata fatetur, statim vero inter hunc & *humanitatem ipsam* distinguit. At vero ipsi *humanitati assumptæ* communicata sunt divina *Idiomata* a Verbo, quod eam assumpsit in divinam hypostasim suam.
  3. Christum hominem in primo incarnationis suæ momento ad dextram Dei sedisse, cum asserit, suis ipse principiis contradixit. Dixerat enim, scripseratque expresse: *Patet tam scripturam, quam symbolum Apostolicum hanc sessionem tribuere Christo homini, POST QUAM resurrexit & ascendit in cælum.* Iterumque dixit: *quia scilicet humanitas Christi POST mortem &c.*
  4. Neque satisfacit distinctio inter *sessionem ipsam*, ejusve *celebrationem*. Scriptura enim, quæ de sessione loquitur, ubique de ea, ut ascensionem consecuta, loquitur. Neque ait vel indicat ullo in loco, sessionem in primo incarnationis momento cœptam, post ascensionem celebratam esse, & inclaruisse. Tanta vis facienda fuit & scripturis, & principiis agnitis, ut vel aliquid diceretur, quod morari posset lectorem, vel impedire.

§. 10. Jam vero ad ipsam humanitatem compulsus Cornelius, dimissa illa, quæ *per communicationem Idiomatum* dicebatur, *sessione*, admissaque sessione, qua *ipsa* humanitas *per se* sedet a Dextris Dei, quam *PROPRISSIME* dici agnoscit, quid tandem affert? Et quidem

5. satis magnifice loqui videtur, *excellenciam* nominans, quæ sit super omnem *CREATAM* excellentiam, summam etiam *beatitudinem & gloriam*, adhæc *dominium* summum, sed hæc omnia ad creaturas refert. Non erit hæc excellentia, beatitudo, potestas divina, eademque cum excellentia, & beatitudine, & Potestate Patris, sed huic, uti alibi loquitur, *PROXIMA*, atque narratione *media* inter gloriam potestatemque Patris, & omnis creaturæ. Ita vel unum illud temere præconceptum principium, naturam humanam, ceu finitam, non esse capacem gloriæ divinæ, ut quæ infinita sit, adversæ tenaces opinionis pervertit & indurat. Gloriam enim sessionis, non ulla ex causa alia, *mediam* fingunt, divina inferiorem, superiorem creatura omni, quam cum, & quia vident,